Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 24. Februarii.

M. PETRO PERREAU, Doctore Medico, Præside.

An Anglica præscribendi corticis Peruviani methodus explodenda?

INTER præcipua Naturæ miracula numerari solet arbor, quæ nascitur in Peruviano Americani orbis regno amplissimo; vis ejus præcipua in cortice, qui à pluribus jam annis devectus est in Hispaniam, inde Romam ad Eminentissimum Cardinalem Joannem de Lugo, unde suam inivit celebritatem, quam prudentiores Medici longâ experientiâ edocti, jugibus recidivis & alienis periculis cauti, spretâ diu dolosâ illius corticis potestate, non parum obscurarunt. Verùm hanc nuperrimè multum adauxit, pristinumque splendorem cum fœnore restituit nova hujus exhibendi ratio à quodam Anglo excogitata, in eo quippè posita, ut ineunte quavis febre intermittente, prætermisso utriusque majoris præsidii, ac salutaris diætæ auxilio, merum hujus corticis virtute medicatum non semel, sed pluries, imò per unum aut alterum mensem hauriatur.

CALOR præter naturam è corde in corpus effusus febris est, continua, intermittens; illa periculo plena ob insignem putredinem, quam intima celant præcordia; Hæc plerumque securissima, tum proprio fomite in primis sedibus procul à corde remoto, tum induciis, quas dat reparandis viribus necessarias, donec alio humoris motu, & novo quasi furore rursus excitetur, ruptoque quasi fœdere instauret prælium, repetatque brevioribus longioribusve intervallis, æstus instar marini, magno ac inexplicabili naturæ miraculo. Solet esse paulo diuturnior, & eâ ratione molesta ægris, qui tœdio affecti, neglectis medendi præceptis, compendia quærunt, omnemque ponunt operam, ut à tot repetitis insultibus quàm citissimè fiant immunes.

IN eam rem sese offert cortex Peruvianus, colore croceus, seu potius cinnamomeus, sapore amarus & subausterus, vi calefaciendi ac exsiccandi præditus, qui inpulverem tenuissimum, cum vino aut alio liquore, aut solidæ opiatæ formâ assumptus, incantamenti ad instar, febrium intermittentium fugat accessiones; An quia tenuiorem humoris portionem discutit, crassioremve magis incuneat, & quasi reddit immobilem, ac quietis amantissimam? An verius incertâ adhuc ratione & abditâ in majestate naturæ? Verum quibus cautionibus? Antè depleto ac repurgato corpore, cujus firma sint ac integra viscera, nec veteribus obdurata infarctibus, consulto prius Medico perito, qui prudenter captet occasionem, (quæ superba res est, nec unquam tulit se negligi.) Hanc definient aut vires febris diuturnitate plurimùm attritæ, vixque ejus ferendis insultibus pares, aut accessionum caput impetentium effrenata vis ac incursio, earumque semper efferatior maximo vitæ discrimine recursus. Hæc sunt momenta, quibus tota splendescit hujus pulveris gloria: Hi sunt præscripti hujus imperii limites, quos ille nusquam debet egredi.

UNA Medicorum omnium consentione splendidi hujus febrifugi vim & potestatem negant febres continuæ solis artis Medicæ legibus subjectæ, quas nusquam impunè violarunt. Numquid pariter præstat sinere, ut illæ quæ intermittunt, ab omni periculo liberæ, nondum diuturnitatis molestias expertæ, nec terrificis illis exitiosisque stipatæ symptomatis, placido ac inoffenso cursu suam absolvant historiam, ac optatissimo eventu conquiescant salutaribus majorum nostrorum præsidiis, quàm dubia per compendia vim naturæ morari ac distinere, umbramque dumtaxat & imaginem curationis consectari? Quid aliud lucratur tota hujus pulveris efficientia, quàm hæsitationem quamdam ac moram; Dat, fateor, naturæ inducias, sed fallaces; Pacem simulat, ut bellum periculosius inducat; Latet aliquandiu venenum, ut postea crudelius sæviat.

SANE graviter errant, qui hujus insidiosi pulveris operâ, despectis potissimùm majoribus artis Medicæ remediis, suam securè depulsam credunt ægrotationem, similes illis qui incedunt per ignes suppositos cineri doloso, aut qui vicisse putant in causâ, dum vadimonium distulerunt: Vivit subcineribus duplex reversuri mali fomes, empyreuma omnibus vitæ functionibus infensum, & præpostera illa vivendi licentia novis incendiis occasionem præbens, derelictâ totâ ferè febris materiâ, quæ denuò putredinem contrahit non vulgarem recursuri morbi gravioris parentem. Valeat ergo, nec tam magnificè prædicetur, infida illa ac compendiaria curatio, quæ quadam recti verique specie, ægrotos interdum opprimit, fallit assidentes, ludit & Medicos incautos, earum maximè febrium, quæ omnis securæ periculi, dum juxta veterum documenta pedetentim solvuntur, solent esse præsidio, & sæpius ægros à magnis morbis vindicare: Exulet prorsus insolens illa hujus præscribendi pulveris norma, solâ sordidi lucri cupidine parta, totque immeritis celebrata præconiis; Quò crebrius ille præsertim mero dilutus assumitur, eò citius genitalem partium succum depascitur; labem ipsis inurit tempore & opere plurimo eluendam vitamque ipsam reddit longè breviorem.

Ergo Anglica præscribendi corticis Peruviani methodus explodenda.

Proponebat Parisiis JOANNES DAVAL, Augæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1684.